

sequentesque castris incidere. In eo pavore castra capiuntur. Qui Volscorum effugere potuerunt, Antium petunt. Antium et Romanus exercitus ductus: paucos circumsessum dies deditur, nulla oppugnantium nova vi; sed quod iam inde ab infelici pugna castrisque amissis ceciderant animi.

EPITOME LIBRI III.

Seditiones de agrariis legibus factae. Capitolium, ab exsulibus et servis occupatum, caesis iis receptum est. Census bis actus est. Priore lustro censa sunt civium capita centum quattuor millia ducenta quattuordecim, praeter orbos orbisque: sequenti, centum septendecim millia ducenta novendecim. Quum adversus Aequos res male gesta esset, L. Quintius Cincinnatus dictator factus, quum rure intentus rustico operi esset, ad id bellum gerendum arcessitus est. Is victos hostes sub iugum misit. Tribunorum plebis numerus ampliatus est, ut essent decem, trigesimo sexto anno a primis tribunis plebis. Petitus per legatos, et allatis Atticis legibus, ad constituendas eas proponendasque decemviri pro consulibus sine ullis aliis magistratibus creati, altero et trecentesimo anno, quam Roma condita erat: et, ut a regibus ad consules, ita a consulibus ad decemviros translatum imperium. Hi, decem tabulis legum positis, quum modeste se in eo honore gessissent, et ob id in alterum quoque annum eundem esse magistratum placuisset, duabus tabulis ad decem adiectis, quum complura impotenter fecissent, magistratum noluerunt deponere, et in tertium annum retinuerunt: donec in viso eorum imperio finem attulit libido Ap. Claudii. Qui, quum in amorem virginis incidisset, summisso, qui eam in servitutem peteret, necessitatem patri eius Virginio imposuit, rapte